

A character reflects on the untrustworthiness of man.

CH. hoccinest credibile aut memorabile,
tanta vecordia innata quoiquam ut siet
ut malis gaudeant atque ex incommodis
alterius sua ut comparent commoda? ah
idnest verum? immo id est genus hominum pessimum in
denegando modo quis pudor paullum adest;
post ubi tempu' promissa iam perfici,
tum coacti necessario se aperiunt,
et timent et tamen res premit denegare;
ibi tum eorum inpudentissima oratiost
"quis tu es? quis mihi es? quor meam tibi? heus
proxumus sum egomet mihi."
at tamen "ubi fides?" si roges,
nil pudet hic, ubi opus est; illi ubi
nil opust, ibi verentur.
sed quid agam? adeon ad eum et cum eo iniuriam hanc expostulem?
ingeram mala multa? atque aliqui' dicat "nil promoveris":
multum: molestu' certe ei fuero atque animo morem gessero.
PA. Charine, et me et te imprudens, nisi quid di respiciunt, perdididi.

TERENCE

Camillus urges piety.

igitur uicti captique ac redempti tantum poenarum dis hominibusque dedimus ut
terrarum orbi documento essemus. aduersae deinde res admonuerunt religionum.
confugimus in Capitolium ad deos, ad sedem Iouis optimi maximi; sacra in ruina
rerum nostrarum alia terra celauimus, alia auecta in finitimas urbes amouimus ab
hostium oculis; deorum cultum deserti ab dis hominibusque tamen non
intermisimus. reddidere igitur patriam et uictoriam et antiquum belli decus
amissum, et in hostes qui caeci auaritia in pondere auri foedus ac fidem fefellerunt,
uerterunt terrorem fugamque et caedem. haec culti neglectique numinis tanta
monumenta in rebus humanis cernentes ecquid sentitis, Quirites, quantum uixdum
e naufragiis prioris culpa cladisque emergentes paremus nefas? urbem auspicato
inauguratoque conditam habemus; nullus locus in ea non religionum deorumque est
plenus; sacrificiis sollempnibus non dies magis stati quam loca sunt in quibus fiant.
hos omnes deos publicos priuatosque, Quirites, deserturi estis?

LIVY